

## **Disputatio medica de hemiplegia / [John Cochran].**

### **Contributors**

Cochran, John.

### **Publication/Creation**

Edinburgh : [publisher not identified], [1820]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/pbzz6pzs>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

(12)

DISPUTATIO MEDICA 12

DE

HEMIPLÉGIA.

AUCTORE JOANNE COCHRAN.

PRAEFANDA.

ARTIFEX divinus cerebrum, cujus ope et ministerio res extimas percipimus, cogitamus et judicamus, praeteritorum reminiscimur, ad omnesque motus, sive animi jussu, sive injussu exactos, exequendos valemus, jure optimo caeteris corporis partibus gubernatorem et rectorem praeposuit. Viscus tanti momenti arte mirabili munitur: ipsum, scilicet, molle, tenerum, subtilique fabrica instructum tegumine forti, durissimo, gravi, impetui alieno obnitendo habili, gaudet. Medici tamen usu docti intelligunt

A

[1820]



plures causas, cum exteras, tum quoque intestinas, ejus actiones turbare, idemque morbis non paucis implicare, necem serius ocyus illaturis. Ex omnibus autem valetudinis adversae generibus, quae cerebro male se habente continentur, nulla perscrutari pluris medicorum refert, quam eo compresso oriunda: nec profecto ulla saepius medentium studium acerrimum flagitant. Omnia vero mala presso cerebro sata pleno sermone persequi, nec sinunt angusti, quibus contineor, limites, nec postulat consilium. In animo est mihi, summos medicinae honores ambituro, ideoque aliquid ad artem machaoniam attinens scribere coacto, pauca de eorum uno, nimirum *Hemiplegia*, literis mandare; quippe quam inter aegros curandos meum persaepe videre fuit. Nec tamen profiteor nova me luce eandem illustrare posse; auctoribus claris, qui eam descripserint, innixurus et usurus.

Haecce praefatus ad argumentum propositum aggrediendum protinus transibo.

## DE DEFINITIONE.

CULLENUS *Paralysin* ad *Classem* NEUROSES *Ordinemque* COMATA relatam sic definivit;  
“ motus voluntarii nonnulli tantum immi-  
“ nuti, saepe cum sopore.”

Cum vero non dubitandum est omnes fi-  
bras motrices, cum quae voluntati, tum  
etiam quae aliis incitamentis obsequuntur,  
*Paralysi* esse opportunas, hacce uti defini-  
tione malo: “ Motus et sensus alicujus par-  
“ tis imminuti, saepe cum sopore.

Idem clarus auctor quatuor subjecit *Spe-  
cies*; scilicet *Partialem*, *Hemiplegicam*, *Pa-  
raplegicam*, et *Venenatam*. *Paralysis He-  
miplegica*, sive *Hemiplegia* ita definitur:  
“ *Paralysis* alterius lateris;” fortasse melius,  
“ *Paralysis* partis dimidiaae corporis, a ca-  
“ pite ad calcem.”

*DE SIGNIS.*

Hemiplegia modo *Apoplexiæ* praegressae supervenit; alias, derepente, nullis malis praenunciis invadit. Homo ex improvise concidit, sensu initio pene orbatus, mentisque viribus plane laesis. Artus simul quodammodo velluntur, vultusque principio pallere, collabi et distorqueri notatur. Paulo postea, alterum latus corporis moveri posse desinit: nimirum omnes muscoli, vel mentis jussu, vel injussu, niti soliti, qui ex alterutra parte linea corporis media finiuntur, vi sentiendi se que movendi fere destituti, resolvuntur.

Aliquanto post accessionem inceptam, homo fere stupere cessat, coeteris malis perstantibus. Si ambulare, vel se movere conatur, corpus erectum habendi impotens ad sanum latus semper inclinatur; eoque ma-

gis, quo plus alterum resolvatur. Pari ratione, inter loquendum os quoque tortum ad latus sanum dimovetur; quod si lingua extrudatur, non medium occupat locum, sed frequentius ad partem sanam, modo ad affectam, fertur. Artus resoluti non, nisi hoc malo gravissimo, penitus moveri posse desinunt; aegro gradiente, crus solutum vix aut ne vix quidem flexum trahi, potius quam attolli videtur. Partes affectae torpentes incitamentis minus obsequuntur quam integrae, minusque causa doloris genitrice admota, dolent; saepius frigent; quod tamen perpetuum non est: imo vero exempla novi partis resolutae praeter naturam calentis. Ubi jam diu malum traxerit, artus affecti emacrescunt: semperque arteriae languidius et lentius iisdem quam sanis micant. Aliquando pupillae patulae luce illata parum aut nihil coarctantur: oratio semper difficilis, manca et confusa editur: nec raro cibi et potus difficulter vorantur. Respiratio non multum perturbatur: ventriculus quoque et alvus plerumque satis bene

se habent, nisi profecto caput ictum morbum propositum intulerit: qua scilicet causa ortus vomitum persaepe exhibet. Alvus fere tardior exercet; secernendaque et excernenda aequo parcius secernuntur et excernuntur. *Hemiplegia* haud raro aliquamdiu signis jam relatis denuntiata perstat. Tandem vero mala deteriora accedunt; aeger nimirum in stuporem repentinum labitur; artusque prius affecti magis quam antehac resolvuntur, vix omnino animi imperio obsecuturi. Alterum simul latus convelli coepit; pauloque postea infelix eloquendi et vorandi impotens fit. Alvus inter haec interdum laxa fluit: urinaque, mente non imperante, continenter stillat: quibusdam sane supprimitur: aliis denique, naturae convenienter redditur. Scire quoque licet, notas graviores supra propositas nonnunquam ab initio ipso invadere; praesertim si *Apoplexia* antecesserit. Quodocunque autem superveniant, fatum haud procul abesse testantur: quod miserum demum abripit, vel sensim labefactatum et exhaustum, vel *Apoplexia*

obrutum. Nonnunquam partes resolutae non solum extenuantur et frigent; verum etiam denuo livent et pene in gangraenam ruunt.

#### DE FINIBUS.

*Hemiplegia* perraro, sed interdum in salutem recidivam desinit; tarde sane, et pedetentim. Persaepe multos annos, certeve diu perstat, mortem serius ocysuve aegro adsciturus. Denique, in *Apoplexiam* lethalem saepenumero abit; praesertim, si hic morbus praegressus *Hemiplegiam* principio intulerit.

#### QUÆ INCISIS CADAVERIBUS PATEFIANT.

Cerebrum scalpello patefactum semper vitia gravissima, memoratuque dignissima sibi praefert. Si caput ictu violatum hunc morbum genuerit; sequitur ut calvaria alicubi



scissa et intrusa, aut cruor intus profusus, aut denique horum utrumque, introspectanti pateat. Si vero aliunde *Hemiplegia* provenisse videatur, haec fere observantur. Vasa cerebri plerumque ultra debitum intumescunt: quod tamen perpetuum non est. Aliquando tubercula cerebro infixa conspiciuntur, varii generis et molis; modo dura, modo mollia, alias pure referta. Haec uni, prae altero, cerebri lateri inhaerere consueverunt; nec raro ejus penetralia, partesque *ponti varolii* et *medullae oblongatae* vicinas occupant. At vero notatu dignissimum judico, sanguinem, laticem aquosum aut pus fere nunquam non alicubi inveniri.

Quoties cruor e vasis ruptis manaverit, interdum apparet membranis interjectus, alias compagi cerebri ipsi insidere observantur: saepe alterum *ventriculorum tricornium*, *tertiumve*, aut *quartum*, intendit: subinde in imam calcariae partem incumbit. Pus quoque easdem occupasse partes accepimus. Latex aquosus, si adsit, ventriculis subesse

consuevit. Potissimum vero intelligendum duco, imprimis, (nisi morbus propositus ab aetate tenera orsus vitam integram traxerit, tuberculo scilicet, aliove simili vitio natus, quod interdum fit) semper cruorem, pus aut laticem cerebro patefacto inesse reperiri: deinde, utrumcunque corporis latus resolvatur, cerebri alterum latus nunquam non opprimi; scilicet, cruorem profusum, laticem, pus, tubercula, et quodcunque aliud opprimere possit, in laevam cerebri partem dextro corporis latere affecto, dextram, laevo, semper incidere.

Etiamsi hodierni et recentiores paulo fusi-  
us hanc rem singularem indagaverint, anti-  
quos quoque eandem non latuisse fatendum.  
Aretaeus enim scribit, alterutro corporis  
latere soluto, alteram cerebri partem laedi.  
Nuperi vero, corporibus summa acie intro-  
spectis, causam patefecerunt; fibras nempe  
nervosas uno cerebri latere exortas ad alte-  
rum corporis latus transire, demonstrarunt.

## DE CAUSA CONTINENTE.

Quum patet ex jam propositis alterum cerebri laterum semper humorem effusum, tuberculum, aliudve ejusmodi vitium, exhibere, judicare licet, causam *Hemiplegiae* continentem esse “compressionem cerebri, “ unius lateris praesertim; humoreque effuso “ plerumque factum.” Idem sane experimento docemur. Si enim cuivis belluae alterum cerebri latus arte opprimitur, *Hemiplegia* nunquam non accedit, sublata noxa premente abitura. Vasa cerebri praeter naturam tumefacta, citra cruorem, aliumve humorem intus profusum, morbum, de quo agimus, moliri non posse, testatur ipsa ratio, haud minus quam sectis corporibus conspecta. Quo enim pars dimidia corporis a capite ad calcem resolvatur, pars cerebri ejus vis nervosae datrix prae altera laedatur, necesse est. Vix autem, aut ne vix quidem

fieri potest, ut vasa unius cerebri lateris solius turgeant: siquidem causae arterias et venas cerebri ultra debitum opplendi potentes perraro vasis unius lateris unicis admoventur: neque profecto vasa distenta cerebrum in tantum premere posse videntur, ut exinde *hemiplegia* gravis gignatur; quamquam concedatur istam causam interdum uni cerebri lateri subesse posse.

DE SIGNORUM RATIONE.

Si in animo habeamus cerebrum et nervos sensui et motui imperare et inservire, signorum ratio non erit difficilis. Horum non nisi praecipuis insistendum duco.

CORPUS GRADIENTI, OS LOQUENTI, ET LINGUA EXTRUSA AD LATUM SANUM INCLINANTUR, eo quod muscoli lateris affecti laxati sanis alterius lateris propriis non obnituntur.

ARTUS RESOLUTI TANDEM FRIGENT ET

MARCENT quia fibrae arteriarum motrices Haud minus quam muscoli artuum grandiores, resolvuntur. Hinc quoque arteriae artuum laborantium quam integrorum exilius tardiusque saliant.

LOQUENDI DIFFICULTAS fibris linguae plus minusve solutis debetur.

Quoties AEGER OBMUTESCIT, VORARE, URINAMQUE ET STERCUS RETINERE, POSSE DESINIT, scire licet haec signa deterrima ad *tuber annulare et medullam oblongatam* cruore aliundeve pressa referenda; quo fit, ut laedantur fontes *partis vagae* nervi octavi, nervorum linguae *chordaeque spinalis*, &c.; exinde enim lingua, gula, *sphincteres*, &c. nervos accipiunt. Reliqua signorum graviorum, quae novissime retuli (vide Signa) partibus imis *encephali*, nimirum, *medullae oblongatae*, et ei vicinis oppressis, tribuenda esse videntur.

LATUS SANUM demum convulsum et motus arteriarum tunc temporis citissimus et languidus huc jure relegantur.

## DE DIAGNOSI.

Quamquam *hemiplegia* et *apoplexia* mala sint inter se cognata et consimilia, limite tamen satis conspicuo altera ab altera diducitur. Easdem non unum eundemque morbum habendas, hinc patet, quod persaepe *Hemiplegia*, non praegressa *apoplexia*, aggreditur. Neque vero ignoro haec mala frequentur eidem simul contingere, aut se invicem parere vel excipere. Hisce autem notis perspectis, dijudicandum erit.

Quem *apoplexia* icerit, is soporatus jacet, artubus omnibus, uti videtur, resolutis; *hemiplegicus* contra non nisi initio in soporem labitur, imo vero ambulandi potens unum latus, animo imperante, movet. Neque stertit *hemiplegia* correptus, nec semper *pupillae* immotae, luce illata, patent: quae notae *apoplecticos* male habent. Veruntamen fateri

cogimur, parum utile esse hanc rei propositae partem fusius persequi; siquidem curatio eadem utrique horum malorum convenit.

#### DE CAUSIS ABDITIS.

Hucusque absoluta re proposita, sequitur ut inquiramus, quae ratio corporis, quae aetas, aliaeve proprietates *hemiplegiae* subeundae homines aptent; vel, uti alias loquar, ad eandem proclives reddant. Causae hujusmodi ABDITAE apud medicos nominari solent; eo quod non extero fonte ortae corporibus inhaerere solent.

*Hemiplegia* easdem fere causas abditas, quas *apoplexia*, agnoscit. Hae vero sunt, aetas provector, caput grandius, cervix brevior, corpus obesum et plenum; et persaepe habitus corporis laxior. De quorum singulis brevi sermone disputabo.

ÆTAS PROVECTIOR homines potissimum ad *hemiplegiam* propensos reddit.

Jam annum quadragesimum transgressi prae aliis in eandem incidunt. Hoc duplici e causa accidit; nimirum, partim, quod seniores, ad motum pigri, ideoque inexercitati esse consuerunt, unde iis secernenda et excernenda non rite secreta et excreta faciunt ut corpora plus aequo saginentur: partim quod, ad senium vergentibus arteriae obrigent; venae autem flexiles et laxae fiunt, et inde plus aequo implentur, disruptu simul faciles. Quantum talis venarum cerebri habitus morbo proposito faveat, intellectu difficile non est. Huc porro accedit, venarum plenitudinem saepe efficere ut ex oribus arteriarum exhalantium plus justo laticis profundatur.

CAPUT GRANDIUS ET CERVIX BREVIOR fere HEMIPLEGICIS contingunt; quae duae proprietates cõire fere observantur. Illud enim actionem capitis vasorum vegetam et



incitatum arguit ; haec quoque eandem adjuvat; siquidem efficit ut cor intervallo minori cerebro distet, eoque sanguinem huc validius impellat. Quinetiam, cervix brevior adipe gravis esse consuevit venas oppressuro. Veri quoque est simile caput derepente dextrorsum aut sinistrorsum conversum venas cervicis brevis haud parum torquere.

Quibus perspectis judicare licet ita instructos *hemiplegiae* opportuniores esse quod iisdem sanguis facilius cerebri arterias petit, et lentius per venas reducitur : quo fit, ut, noxa excitante illata, cruor aut latex aquosus facile intus profundatur.

Cur corpus obesum et plenum ad hoc malum propensum sit, ex jam dictis satis patet. Non raro resoluti, *hydropici*, et *leucophlegmatici* in *hemiplegiam* incidunt : nec ratio obscura : corporibus enim istiusmodi vasa omnia laxiora esse notantur : qualis habitus profusioni sanguinis aut lymphae favet.

*DE CAUSIS EXCITANTIBUS.*

Causae excitantes triplicem fere distributionem accipere videntur ; nimirum,

I. Quaedam sanguinis cursum ad cerebri arterias celerant.

II. Aliae obstant, quo minus venae sanguinem ex facili reducant.

III. Aliae corpore implendo nocent. Quibus accedit *apoplexia* praegressa, causa sane creberrima.

I. Cerebri arterias concitant animi affectus acriores, quales sunt, gaudium, ira, amor, et alii istiusmodi : quinetiam, ebrietas, cursus citior, equitatio, caput pronum aut supinum. Quorum omnium ratio in aprico est: quaeque *hemiplegiam* recta, aut *apoplexiam* in hanc abituram inferunt.

II. E causis quæ prohibent, ne sanguis facile e cerebri venis et *sinibus* ad cor dextrum reducatur, præcipuae sunt, cervices arctius ligatae, caput supinum aut pronum (de quo jam retuli) satietas, respiratio difficilis, diutina et alta, et morbi quidam cordis et pulmonis prægressi.

Collum ligamento, monilibus aliundeve strictum facit ut, venis *jugularibus* oppressis, cerebri vasa præter consuetudinem oppleantur.

Quomodo ventriculus plus justo cibus refertus homines *hemiplegia* aut *apoplexia* implicet, minus inter medicos convenit. Quidam contendunt hoc viscus distentum arteriam magnam, cui nomen *aërta*, gravare, eoque facere ut partes corporis superiores plus, inferiores minus debito sanguinis accipiant. Quos inanem opinionem fefellisse conjicio; ventriculus enim plenior sursum et antrorsum movetur. Potius iis assentior, qui opinantur gulosos in morbum propositum inci-

dere, quod ventriculus cibo refertus, septi transversi actione impedienda, respirationem impedit, et exinde sanguini per capitis et cervicis venas reduci obstat : partim denique quod iste ventriculi habitus, ob consensum intimum, quo id viscus cum aliis partibus sociatur, cordi, arteriis, generique nervoso incitamento est perinsigni.

Undecunque aliquis difficulter alte et tarde spiritum trahit et emittit, *hemiplegia* exinde nasci potest. Opus est enim pulmone rite invicem amplificato et contracto, quo sanguis eundem facile permeet ; neque ignorare oportet, sanguinem venarum omnium illuc confluere. Hinc patet, cur morbi quidam cordis et pulmonis saepenumero in *hemiplegiam* aut *apoplexiam* abeant. Ex his *asthma*, *pertussis*, *hydrothorax*, et interdum *peripneumonia* praecipue sunt memoranda : quae mala omnia efficiunt, ut sanguis aegre tardeque per vasa pulmonis moveatur ; ideoque ut venae omnes, maximeque capitis, saepe intumescant.

Nullum fere cordis vitium non morbum, de quo agimus, moliri potest : at potissimum huc relego valvas in osseam naturam versas, cor ipsum aliquamve ejus partem amplificatum, et *aörtam*, ubi se arcuat, *aneurismate* vitiosam, sive osseam. Hi enim morbi gravissimi, impedito sanguinis cursu, venas, haud secus atque supra retuli, tumefieri faciunt. Unus tamen horum tam singularis et notabilis est, ut paulo altius eundem agitandum judicaverim. Respicio partem *arcûs aörtæ* laevam et posticam *aneurismate* affectam : quod malum non solum ratione jam saepius descripta nocet ; verum etiam efficit, ut *arteria innominata*, (prima scilicet omnium arcu ortarum, dextrarumque *caroticae* et *subclaviae* genitrix) plus debito, *carotica* autem et *subclavia* laevae minus aequo sanguinis accipiant : quo fit, ut vasis dextri lateris cerebri sanguis superfluat, sinistri vero deficiat : nec raro, ut illis denuo ruptis, ea pars cerebri, nimirum dextra, effuso cruore opprimatur. Quinetiam, si in animo habeamus, alterutrum cerebri laterum altero corporis

lateri vim nervosam largiri ; id est dextrum laevo, laevumque dextro ; satis intelligere licebit, cur malum supra comprehensum frequenter tempora dextra gravi dolore torqueat, brachii crurisque sinistri torporem moveat ; et demum *hemiplegia* lethali futura idem latus implicet.

III. Corpus insigniter implent aut saginant, et exinde *hemiplegiam*, haud aliter atque *apoplexiam*, progignunt, ignavia, gula, luxus pene omnigenus, secernenda et excernenda suppressa, veluti, alvus, sudor, menstrua, sanguinis cursus, &c. ; porro, ulcus ex improviseo siccescens ; cutis ex *erysipelate* aliove morbo *exanthematico* deflorescens. Denique, ipsa *apoplexia* praegressa, uti jam notavi, *hydrocephalus*, *epilepsia*, et quicquid aliud malum cum presso cerebro societur, *hemiplegiam* saepe excitant.

## DE PROGNOSE.

*Hemiplegia* metu nunquam vacat; et per raro salute mutatur. Semper enim cruore, sero aut pure intus effuso nascitur, uti jam proposui; nisi profecto quod interdum tubercula cerebro infixata, aut alio simili vitio *organico* oriunda, ab die ipso natali usque ad extremum spiritum infestat.

Quanquam vero nemo *hemiplegicorum* non periclitetur, spes tamen non illico aut prorsus est abjicienda, si adhuc superstet sentiendi, judicandi, loquendi, devorandi et spirandi facultas, si, misso sanguine, signa mitescant; nec prius homo idem subierit malum. Quanto enim jam saepius eodem aegrotaverit, tanto facilius recidit, tantoque gravius affligitur.

Cui demum *hemiplegia apoplexiam* excipit, neque venis vacuefactis cedit; cuique latus non solum convellitur, lingua simul,

gula et *sphincteribus* solutis, is mox periturus est habendus. Denique scire licet, latus sinistrum frequentius dextro laborare; affectumque perniciem ocyorem sibi praeferre.

#### DE CURATIONE.

Duo consilia exequenda *hemiplegiae* curationem amplecti videntur: haec vero sunt, *a.* cerebri compressionem medicinae auxilio tollere *b.* causasque omnes excitantes et exasperantes evitare.

*a.* Si aeger sit plenior, et vegetus, remedia, quae cerebrum oppressum expediant, sunt detractio sanguinis, alvi purgatio et ductio, exulcerantia, et alia quaedam ejusdem generis. De quorum singulis brevi sermone disputandum.

DE SANGUINIS DETRACTIONE.—Sanguis quam primum, vena *jugulari* incisa, eliciendus est. Quantum mitti oppor-



teat, et quoties, saepius an rarius, docebit virium, sexus, aetatis, corporis et signorum ratio. Longe saepius satis erit, singulis vicibus, uncias XVI aut XX detrahere. Quod si aliqua ex causa venam jam relaxatam incidere minus liceat, vena brachii incidenda erit. Nosse quoque juvat, copiam sanguinis haud magnam ex incisura ampla celeriter detractam longe magis auxiliari, quam molem largiorem lento passu effusam: siquidem vasa non protinus moli humorum imminutae se accommodant; ideoque arteriae et venae cerebri magis sanguine ex improvise et celeriter, quam gradatim effluente laxantur atque collabuntur. Quin etiam, si vires venam brachii aut *jugularem* secari non patiuntur, aut id semel factum iterari vetant, simulque vasa cerebri praeter modum intendi videantur, per hirudines aut cucurbitulas cruentas temporibus impositas exinaniri debebunt. Hinc enim cerebrum quodammodo expeditur et levatur, robore simul non labefactato. Quum vero, ut jam exposuimus, cruor aut lympha fere

semper *hemiplegicis* cerebri penetralibus incumbit, manifestum est, sanguinem arte deductum, aut venas ullo modo vacuefactas iisdem statim succurrere non posse; et haec auxilia solummodo opitulari, prohibendo quo minus humoris intus profusi moles increseat: nec prius redintegratum iri valetudinem secundam, quam vasa *lymphatica* demum cruorem aliumve liquorem, cujuscunque sit generis, effusum sustulerint. Quanquam igitur deplere nunquam non opus sit, medicum tamen prudentem latere non oportet, exinanitionem nimiam haud minus, quam nullam, esse laesuram: illam scilicet, viribus contemendis, ideoque vasis laxandis; hanc, vasis turgentibus non expeditis, facturam esse, ut plus humoris intus profundatur.

DE ALVI PURGATIONE ET DUCTIONE.—Si vis devorandi superest, alvus medicamentis acrioribus sollicitari debet; qualia sunt, *suburias hydrargyri*, radix *convolvuli jallappae*, *gummi resina convolvuli scammoniae*. Si his vesperi sumptis postridie mane accedat quivis

mediorum salium ingestus, alvus exinde optime vacuefieri solet. Hoc genus exinanitionis triplici ratione *hemiplegicis* succurrit; scilicet, acri et irritatura sorde dejicienda; sanguine deorsum a cerebro impellendo (id quod vultus, sumpto medicamine, pallens denuntiat,) necnon mole humorum circum-euntium imminuenda. Alvi igitur purgatio, haud secus atque venae depletæ, potius cavendo ne amplius humoris intus profundatur, quam jam profusum tollendo, auxilium affert. Alvum quoque ducere, liquoribus idoneis per anum infusis, proderit; eoque magis his erit utendum, si gulæ fibræ laxatis, aeger vorare nequeat, aut ventriculus irritabilior medicamina ingurgitata respuat.

EXULCERANTIA nunquam fere non opem pollicentur. Si aeger sit plenior et validior, caput ad cutem tondere, et deinde *emplastro* amplissimo *emelœ vesicatorio* obducere opus erit. Sanguis enim ita ad vasa capitis exteriora derivatur, et inde cerebri penetralia expedi-

untur. Persaepe etiam utile est facere ut, *emplastro* sublato, ulcus aliquamdiu serve-  
tur, imposito unguento ex foliis *juniperi subinae* et adipe confecto. Nec male exulcera-  
tur pars cervicis posterior, aut cute incisa,  
et piso *unguento melöes vesicatorii* illito ei in-  
sito; aut filo gossipino, acus ministerio, cu-  
tem transfigente.

Si vero aeger sit debilior, isto corporis ha-  
bitu praeditus, cui nomen apud medicos  
*leucophlegmaticus*, curatio supra comprehen-  
sa non omni ex parte convenit. Praeter-  
missa nempe sanguinis detractio, certe ve-  
nis capitis non nisi parce et ope hirudinum  
vel cucurbitularum depletis, potissimum  
alvi purgantibus insistendum erit. Ad de-  
jectionem porro moliendam, *gutta gambogia*,  
et *faecula momordicae elaterii* bene jam  
dictis medicamentis adjiciuntur; quippe  
quae arterias intestini exhalantes incitant,  
eoque vetant, quo minus vasa cerebri plus  
laticis emittant. Nec semper, corporis ha-  
bitu malo, viribusque senio, luxu aliunde-

ve fractis, cutem summam exulcerare licet; metuendum enim, ne ulcus mali generis, imo vero gangraena ipsa superveniat. Rebus ita se habentibus, vel ab exulcerantibus omnino abstinendum, vel cutis, misso emplastro *me-loës*, adipe *tartrite antimonii* misto oblinenda.

Ex urinae moventibus praepollent radix *scillae maritimae*, *supertartras potassae* et *spiritus juniperi communis*; quibus multi addunt folia *digitalis purpureae*. Haec tamen herba, me judice, potestate sedatrice, imbecillis corporibus nocebit; nec sane nisi *spiritum juniperi communis* dilutum iisdem ad urinam eliciendam tuto ingerimus.

b. Noxae omnes excitantes et exasperantes subducendae. Caput igitur aegro pleniori erigendum: cervices nudari sublatis monilibus, aut veste arcta oportebit. Fugienda aestus, frigus, motus animi graviores, et quicquid cor arteriasque concitet, corpusve impleat. Quod ad victum pertinet, leges perpetuas aut certas ferre vix licet: si homo sit

obesus et validior, longe saepius, frugibus erit vescendum, a vinoque et aliis liquoribus atque carnibus meracis abstinendum. Uti tamen venae nimium vacuefactae, debilitando et relaxando interdum hoc malum exasperant, ita quoque victus tenuior eodem modo aliquando laedit. Necque oblivisci oportet, plurimi interesse quale vitae genus, qualemve victum homo antea secutus fuerit: tanto enim imperio consuetudo homines regit, ut diuturnitas nullam fere vivendi aut vescendi rationem non iis accommodet, imo vero necessariam reddat. Si igitur aliquis jam diu luxui, gulae, vino et ignaviae deditus in *hemiplegiam* inciderit; quanquam haud sit dubitandum, istas noxas hanc intulisse, non tamen illico sequitur, statim a cibis opimis et potu meraciori esse abstinendum: sed potius ad vitae genus idoneum sensim erit redeundum; ne viribus subito labefactatis, vasa cerebri laxata plus laticis aut cruoris effundant; et exinde mala omnia exasperentur: cujus rei exempla inter medicinam faciendam novisse mihi contigit.

Quinetiam, neque uti conjicio, victui e frugibus confecto, uti praecipuo remedio vel praesidio, insistendum est. Non enim ignoro multos huic potissimum confidere, ad *hemiplegiam* tollendam, vel praecavendam.

Nemo corporis humani fabricae paulo scientior non fatebitur artificem divinum ita hominem finxisse, ut, terra natorum et animalium imperator, cibo ex utrisque parato recte vescatur. Frugibus igitur solis naturae est almo consilio obstare. Nobis equidem videtur, corpus plenius tutissime extenuari, (quantum ratio victus hoc moliri possit) cibo parco, atque ex terra natis et carnibus confecto. Qui autem frugibus unicis uti solent, haud raro nimium iisdem confisi, alias deplendi rationes praetermittunt, neque his ipsis modum imponunt: quo fit non solum ut corpus non extenuetur, verum etiam ut vasa, muscoli, caeteraeque partes solidae campagem laxiorem sibi adsciscant; et exinde serius ocuus omnia morbi proposi-

ti indicia, vasis cerebri humoris amplius profusuris, increseant. Quibus rebus perspectis, constat medici esse prudentis omnia circumspicere, communia et propria, maximeque aegrorum uniuscujusque proprietates cognoscere.

DE ARTUBUS RESOLUTIS STIMULANDIS.

Haud nescio medicos persaepe artus *paralyisi* solutos multis incitando idoneis sollicitare: qualia sunt, *aura electrica*, *vis Galvanica*, fricatio, pannus laneus impositus, tepidarium, et rubefacientia.

Cur haec omnia *hemiphlegicis* inutilia, imo vero perniciosa sint, paucis ostendere nitar. Siquidem edocuimus cerebri alterum latus oppressum, (longeque saepius, humore effuso, interdum tuberculo) morbum, de quo agimus, continere, manifestum est nihil, nisi id quod noxam opprimentem tollit, iri opitulatum. Quo fit, ut remedia jam



memorata artubus ipsis admota nihil proficere possint; cerebrum enim procul dubio expedire nequeunt. Nec vero solummodo inania sunt; nocere quoque possunt, summa cute exulceranda, vel ipsa gangraena implicanda. Denique, patet ex jam dictis, ea genera *paralyseos* unica remedia supra comprehensa flagitare, quae citra aliquam generis nervosi partem oppressam, aliunde nascuntur: qualia sunt *paralysis* frigore, venenis, *uti plumbo, &c.* oriunda.

FINIS.